



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clüveri[i] Germaniæ Antiquæ Libri tres

Clüver, Philipp

Lugduni Batavorum, 1631

Cap. VI. De Danubio, & aliis Vindeliciæ Noricique fluminibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44541

in occasum ad montem usque *Serium*, qui amneis *Deam*, *Gailam* & *Plavim* fundit, ductâ, Noricos ab Carnis submoveo. hinc porrò eodem jugo ad fontem usque Rientii amnis, & hinc ipso amne ad vicum usque *S. Lorentz* & confluentem Aichæ fluminis, tandem alio hinc jugo, quod & ipsum pars Alpium ad Aenum usque & opidum *Innespruck* procurrat, ab Rhætiis dispesco.

CAPUT VI.

De DANUBIO, & aliis Vindelicæ Noricique fluminibus.

10 **D**XPOSITIS Vindelicæ ac Norici finibus, populis, atque opidis, ordo nunc postulat, uti etiam fluminum, quibus maximè riguæ sunt hæc terræ, antiqua memoria dicatur. In his primum locum sibi meritò vindicat DANUBIUS; ingentis famæ amnis, & non modò harum regionum, sed totius Europæ maximus. hinc illud Ovidii, de Ponto lib. 1v, eleg. x:

*Innumerique alii, quos inter maximus omneis
Cedere Danubius se tibi Nile negat.*

Pars ejus tantum, quatenus Germani Vindelicique ac Norici olim accoluere, & ex his gentibus amnes in eum confluentes hoc loco dicentur. Nomen illius esse geminum apud auctores, DANUBIUS & ISTER, vulgò notum est. Hinc illud ejusdem poetæ, de Ponto lib. 1, eleg. 1x:

Stat vetus urbs ripe vicina nominis Istri.

Causa gemini nominis eadem quæ aliis magnis amnibus, Nilo, Euphrati, Tigri, & aliis, nempe ex accolorum gentium diversitate. Stephani verba hæc sunt: Δάνυβις, ἢ Δάνυσις, Ἰστρὸς ὁ ποταμὸς, πάλαι Ματίας καλεῖσθαι. Συμφορᾶς ἢ τοῖς Σκυθιαῖς Ἰστιπυσιόσις, ἄτω ἐκλήθη. Ματίας ἢ λέγεσθαι ἐς τὴν Ἑλληνίδα γλῶσσαν ἄσι. ἐπὶ πολλοῖσι περιεπέφυκται, ἔθεν ἐπιπύνησεν. ὁ δὲ Δάνυσις ἐρμηνεύεται, ὡς περὶ ἑ ἀμαρτῆν ἔχων τὴν αἰτίαν. id est: Danubius, seu Danusis, Ister est fluvius, quondam Matoas dictus. quum autem Scythæ calamitate quâdam adficerentur, sic adpellatus fuit. Est autem Matoas Græcè limosus; quia sapius trajicientes nihil passi fuerant. Danubius autem significat eum, qui peccandi habet causam. Hæc opidoquàm fabulosa atque

30 falsa. nam superiori parte, quæ Germaniam & vetustissimum illud Illyricum præterfluebat, dictum fuisse *Danubium*, inferiori autem, qua Getas, & alias Thracias Scythicasque genteis abluit, *Istrum*, optimi testantur auctores, Strabo, Mela, Plinius, Appianus, Ptolemæus, & alii. Strabo, lib. vii: καὶ τὸ Ἰστροῦ ποταμὸν τὰ ὑπὸ ἀνακτὸς πρὸς τοὺς πελοποννησιακοὺς μέρη, μέχρι τῶν καταρακτῶν, Δανύβιον προσσηροῦσθαι, ἀ μάλιστα ὑπὸ τῶν Δάκων φέρεται. τὰ δὲ κατωτέρω, μέχρι τῆς Πόντου καὶ τῆς Γετίας, καλεῖσθαι Ἰστρον. id est: Etenim fluminis superiores partes, quæ versùs fonteis sunt, *Danubium* dixerunt ad cataractas usque; quæ maxime per Dacos feruntur: inferiores, ad Pontum usque, quas Getæ accolunt, *Istrum* adpellant. Mela, lib. 11, cap. 1: Apertis in Germaniâ fontibus alto, quam desinit, nomine exoritur. nam per immania magnarum gentium diu Danubius est: deinde aliter appellantiibus accolis, Ister fit. Plinius, lib. 1v, cap. xii: Ortus

40 in Germania jugis, ac per immensus lapsus genteis, Danubii nomine, unde primum Illyricum abluit, Ister adpellatus. Ptolemæus in Daciæ descriptione: Ἡ Δακία περὶ Ἰστρὸν ποταμὸν μεσημβρίας μέρη τῆς Δανύβιος ποταμὸν τὴν ὑπὸ τῆς ἐκτεροῦς μέρη ἀξιοπόλεως Δανύβιος ποταμὸν, ἀφ' ἧς ἡδὴ καλεῖται ὁ μέχρι τῆς Πόντου καὶ τῶν ἐκβολῶν Δανύβιος. Ἰστρὸς. id est: Dacia terminatur à meridie parte Danubii fluminis, à deflexione ejus ad Axiopolim usque, apud Danubium sitam: à quâ deinde usque ad Pontum & ostia Ister adpellatur Danubius. Appiani librum de bellis Illyricis Græcè vulgò non exstare, suprâ cap. 1 dictum est. apud interpretem ejus hæc leguntur: *Casar in Segestanorum & Paonum (intellige Pannoniorum) regionem usque ad savum fluvium est profectus. hujus in ripâ civitas latissimo fluvio & ingenti fossâ munita confidet. quâ ex causâ potissimum Casar illam invasit, veluti belli horreum in Dacos Bastarnasque, qui*

50 *ultra Istrum incolant, habiturus. Idem fluvius his in locis Danubius dicitur: nec multo deinde inferius elapsus, uberioribus aquis pro Danubio Istri nomen assumit. Savus autem Istrum influit. Hinc illud Jornandis in Gothicis: Lingvâ Bessorum Hister vocatur. Belli Thracica fuere gens. Sed de gemino Danubii nomine hæcenus fati. in vocabulis iis enodandis, quid significant, ineptire non libet; quando ejus rei nullum exstet auctoris alicujus documentum. id notandum, Græcis auctoribus ut plurimum usurpari *Istrum*, tam superiori quàm inferiori parte. De ortu amnis ita tradit antiquissimus scriptorum Herodotus, lib. 11: Ἰστρὸς πρὸς ποταμὸς, δεξιά μὲν ἐκ Κελτῶν καὶ Πυρρήνης καλεῖσθαι, πρὸς μίσην ἄξιον τὴν Εὐρώπην. οἱ δὲ Κελταὶ αἰεὶ ἔξω Ἑρακλήϊων ἐπλέων ἑμμενέσσι ἢ Κιωνοισι. οἱ ἔξω αὖτις πρὸς δυσμεῖαν οἰκέσσι τὴν τῆς Εὐρώπης κατοικηθῶν. πλὴν τῆς δὲ Ἰστρὸς ἐς γαίλασσαν ῥέων τὴν Ἐυξείνην πόντον εἰς τὴν αἰθρῆν Εὐρώπης. id est:*

id est: *Ister* namque, exortus à *Celtis* atque urbe *Pyrene*, mediam scindit fluento sub *Europam*. sunt autem *Celtae* extra *Herculis* columnas, contermini *Cynesis*, qui ultimi sunt versus occasum *Europam* habitantium. Exit autem *Ister* in *Ponticum* mare, per omnem *Europam* lapsus. Et lib. IV: Πέρσης ἢ Διὰ πάσης τῆς Εὐρώπης ὁ Ἴστρος, ἀρχαῖον ἐν Κελτῶν, εἰς ἄρατι πάσης ἡλίας δυσμέων ἐκ Κωνσταντίας εἰσέρχεται τῶν ἐν Εὐρώπῃ· ῥέων ἢ Διὰ πάσης Εὐρώπης ἐς τὰ πλάγια τῆς Σκυθίας ἐσβάλλει. id est: Per omnem *Europam* labitur *Ister*, exortus in *Celtis*, qui omnium in *Europa* ultimi post *Cynetas* incolunt: totamque emensus *Europam*, ex transverso ingreditur *Scythiam*. Herodorum haud dubiè sequutus *Aristoteles*, μετεωρολογικῶν lib. I, cap. XIII, ubi de maximis fluminibus agit, quæ maximis fundi aut montium jugis; Εὐκὴ τὸ Πυρήνης, inquit, (τὰ πρὸ δὲ ἐστὶν ἄρα πάσης δυσμῆν ἰσημεριῶν ἐν τῇ Κελτικῇ) ῥέει ἐν τῇ Ἴστρος καὶ Ταρτησός· ἔτι μὲν ἐν ἑξωσιλῶν, ὅ ἢ Ἴστρος δὲ ὅλης τῆς Εὐρώπης, εἰς τὸ Εὐξείνιον πᾶντορ. id est: Ex *Pyrene*, qui mons est *Celtica* versus occasum æquinoctialem, profluunt *Ister* ac *Tartessus*: hic equidem extra *Columnas*; ille verò omnem *Europam* permensus in *Euxinum* *Pontum* exiens. Hæc, ut manifestè ac perspicuè falsa, refutatione haud indigebant, ni nostro etiam hoc ævo docti atque eruditi viri defendere, & pro veris tueri conati fuissent; hoc maximè usi argumento, quòd pars *Alpium* antiquitus dicta fuerit *Pyrenæus mons*. quæ quaestio, quia non tam ad *Danubii* fontem quàm ad ipsas *Alpeis* spectat, alii operi reservabitur. Per *Cynetas* atque *Cynessos* intelligi *Hispanos*, in *Germaniæ* lib. I, cap. IX, ostensus est. *Tartessus* eundem esse *Batin*, *Hispaniæ* amnem, auctor est *Strabo*, lib. III. Quomodò igitur hæc ad *Alpeis*, *Italiæ* cingentis, quadrent, viderint alii. *Pyrenen* illam urbem mihi monstrari velim. quam tamen ipsam jam *Aristoteles* vertit in montem. Sed de his hoc loco satis. ad veriora trans-eamus. De *Danubii* igitur ortu sic *Mela*, dicto loco: At ille, qui *Scythiæ* populos à sequentibus dirimit, apertis in *Germaniæ* fontibus alio, quàm desinit, nomine exoritur. *Tacitus*, in libro de *Germaniæ*: *Danubius* molli & elementer edito montis *Abnoæ* jugo effusus. *Plinius*, dicto loco: Ortus in *Germaniæ* jugis montis *Abnoæ*, ex adverso *Raurici* *Galliæ* *opidi*. *Marcellinus*, lib. XXI: *Amnis* *Danubius*, oriens prope *Rauracos* montes confineis limitibus *Rheticis*. *Jornandes*, in *Gothicis*; *Danubius*, in *Alemanicis* arvis exoriens. In *Alemanorum* finibus oriri hunc amnem, ex aliis etiam auctoribus ostendi in *Germaniæ* lib. III, cap. IV. *Abnobam* montem, versus septemtriones ab *Danubii* fonte situm, eodem libro cap. XLVIII descripsi. ubi etiam monstratum, *Alpium* nomen etiam ultra *Danubium* & olim pertinuisse & nunc pertinere. unde illis error de *Pyrenæi* nomine natus. At super *Danubii* fonte ingens hodièque est inter scriptores certamen. Vicus est, vulgari vocabulo *Eschingen* dictus. in ejus medio fons est aquis perennibus atque copiosis, exiguo muro inclusus, longitudine xxvi circiter pedum, latitudine xviii, in humo planà atque aperta; cui imminet templi cæmeterium paullo elevatius. hinc amnis vicum egressus, mox alios duos amniculos, altiùs ortos, quibus vocabulo *Brege* & *Brige*, recipit. à fonte ipse vicus cognomen accepit, vulgò *Donasching* dictus. nec ullus alius accolis agnoscitur hodiè *Danubii* fons. Interim tamen non defuerunt, qui, hunc esse verum ejus amnis fontem, ab antiquis auctoribus designatum, negarent. quibus gemina hujus opinionis ratio fuit: primò quia veteres auctores ad unum omnes non in plano, sed montoso loco eum oriri tradunt: tum, quia prædicti duo amniculi altiùs, quàm iste vulgò habitus *Danubii* fons, in cacumine montis, xv millibus passuum à dicto vico *Donasching* distiti, exoriuntur: qui ob id ipsum rectiùs veriùsque pro *Danubii* fontibus sint habendi. Altera hæc ratio quàm sit imbecilla, lubrica, atque vana, vel sexcenti in orbe terrarum convicerint aliorum amnium fontes, qui longè inferiùs oriuntur, fluvii in eos postea incidentibus. Nec prima ratio multo probior: quando disertissimis testetur verbis *Mela*, apertis *Danubium* exoriri fontibus; & *Jornandes*, in arvis *Alemanicis*. neque montium cacumina rectè dixeris arva: quæ nomen ab arando, ut pascua à pascendo, habet. Sic *Marcellinus*, lib. XXI, non in ipso monte, sed prope montem oriri amnem, testatur. Verba ejus hæc sunt: *Amnis* *Danubius*, oriens prope *Rauracos* montes, confineis limitibus *Reticis*. Molle autem illud & elementer editum *Abnoæ* montis jugum nullum aliud intellexerit *Tacitus*, quàm cæmeterium illud leniter elevatum, sub quo fontis est scaturigo. Huc adde, quæ *Strabo* lib. VII tradit in hæc verba: Η' μερήσιον εἰ δὲ ἀπὸ τῆς λίμνης περὶ τῶν ὄδων Τιβέριου, εἰς τὰς ἑξήκοντα πηγῶν. id est: *Vnius* diei iter ab lacu progressus *Tiberius*, vidit *Danubii* fontes. Quot *Brigæ* fons xl millia passuum ab lacu *Brigantino*, de quo hæc loquitur *Strabo*, abest. quot millia *Tiberium*, haud dubiè non solum, sed cum bonâ exercitus parte, si non integro, ut in hostico, uno die confecisse quis credat? At vicus *Donasching* cum fonte suo xxvi circiter millia tantum à dicto lacu distat. Hunc igitur *Danubii* fontem vidisse *Tiberium*, certum est. Nec te moveat, quòd πηγῶν dicit *Strabo*, non πηγῆν: sic enim solent Græci pariter atque Latini auctores plurali numero

numero etiam eorum annuum adpellare *fonteis* atque *ortus*, & consimili modò ἐκβολὰς & οἶα, quos unum tantum *fontem*, unumque *ostium* habere constat. Sed pauca hæc de vero Danubii fonte disseruisse sufficiat.

Nunc ii dicantur amnes, qui per Germaniam Vindeliciamque & Noricum in Danubium confluentes, memoriam in antiquorum scriptorum monumentis expressam habent. A Germanicâ ripâ tres memorantur sine nominibus Ptolemæo, in descriptione Germaniæ Magnæ. esse eos, quorum primus in Sveviâ vulgò nunc dicitur *Bregenz*, apud opidum *Lauing*, alter *Nabe*, Bavariam superiorem seu Transdanubianam secans, tertius in Moraviâ vulgò Germanis *March*, Slavis *Morává*; Germaniæ lib. III, cap. XXIX, docui.

10 Priorès duo nullum apud veteres auctores nomen habent. tertium Plinio atque Tacito dici *MARUM*, eodem loco, & postea cap. XXXI, ostensum est.

Prope Navi ostium fluvius, qui vulgò nunc dicitur *Regen*, quamvis ab antiquis Romanorum auctoribus non memoretur, tamen jam tum apud Romanos nomen habuisse eum *REGINI*, *Castra Regina*, confluenti ejus in Danubii dextrâ ripâ opposita, disertè testantur.

CUSUM in Quadis, Tacito annal. lib. II memoratum, nunc esse vulgò *die VVage* in Hungariâ, Germaniæ lib. III, cap. XXXI, docui.

GRANUA in iisdem Quadis, Antonino imperatori in vitâ ejus memoratus, nunc nomen in eadem Hungariâ retinet, vulgò *Grane* dictus. Hi igitur à lævâ ripâ Danubium petunt amnes.

20 A dextrâ ripâ primus est *ILARGUS*, vulgò nunc *Iler*, Sveviam secans, Tiberii olim victoriâ adversùs Vindelicos nobilitatus. Peto Albinovanus, carmine ad Liviam:

Quod spes implerunt maternaque vota Nerones:

Quod pulsus toties hostis utroque duce.

Rhenus, & Alpina valles, & sanguine nigro

Decolor infectâ testis Ilargus aquâ.

Drusum & Tiberium fratres intelligit; qui Augusti imperatoris auspicijs Rhætiam, Vindeliciam & Noricum Pannoniamque debellaverunt. Vulgò variè dicti amnis vocabulum scriptum est in variis exemplaribus, *Itargus*, *Itargis*, & *Iturgus*, *Iturgis*. ex quibus doctissimi etiam viri fecerunt *Isurgis*, & *Isurgus*: eumque intelligi poetæ annem docuerunt, qui aliis auctoribus dicitur *Visurgis*, vulgò nunc *Weser*, oceanum Germanicum per medium Cauchorum litus petens. At, quæto, quid poetæ conjunctio fuit *Visurgis* cum

30 Alpinis vallibus? Apage sis cum maximè ridiculâ istâ ἀπία. Ego vocem variè vitiatam intrepidè corrigo in *Ilargus*: esseque eum annem, qui nunc in Sveviâ dicitur *Iler*, audacter pronuntio. Vindelicos sub Rhætorum vocabulo, ut in unâ provinciâ, Romanis fuisse comprehensos, suprâ cap. III docui. Hinc Dio, lib. LIV, Ρῥῆτι, inquit, οὐκ ἔστιν οὐδέ τις τῆς Γαλατίας, ἀλλὰ καὶ τῆς Ἰταλίας. τῆς Ἰταλίας περὶ τὴν Τυρρηνίαν, ἢ τῆς Γαλατίας περὶ τὸν ποταμὸν καλεούμενον, ἃ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἀρπαγὰς ἐπιέντο. id est: *Rheti inter Noricum & Galliam ad Alps Italiae finitimas, quas Tridentinas nominant, sedes habent. hi vicinam Galliam frequenter populati, etiam ex Italia sinibus predas egerant.* Et mox: εἰς Ἑλλάδα ἄν ἐς

40 τὴν Ἰταλίαν ἄνωθεν ἀπὸ ἀμφοτέρων ὁ τε Δρῦς καὶ ὁ Τιβέριος, ἀπὸ τε καὶ τῶν ἰσπερατῶν, καὶ ὁ γὰρ Τιβέριος καὶ τῆς λίμνης πλοῖσιν κομιδοῖς, ὅπῃ τε τότε κατέπληξεν αὐτὸς, ὡς ἐκάστῃ σφίσι συμμιγνῶτες, οὐδὲν τε ἀεὶ ἐς χεῖρας ἀφινωδιῶτες, ἐχαλεπῶς, αἴτε διασπαρμῶτες τῶν δυνάμεσι ζῶοντες, κατεργασάμενοι, καὶ οὐδὲν λοιπὸν ἀδενετέρας τε ἐκ τῶν καὶ ἄχρηστον γυναικῶν εἶλον. hoc est: Proinde Drusus atque Tiberius simul multis locis Rhætiam intrumpentes, cum ipsi, tum legatorum operâ, Tiberius etiam per lacum navigiis subvectus, exterruerunt eâ re barbaros: dissipatosque aggressi, haud difficulter multis levioribus praeliis dispersas eorum copias deleverunt: reliquosque, infirmiores exinde ac animis collapsos, in suam potestatem redegerunt. Dioni consentiens Strabo, dicto lib. VII; Ἔστι δὲ, inquit, πλησίον αὐτῆς ἡ τῆς Ἰσπερηνίης, καὶ ἡ μετὰ αὐτῶν ἀμφοῖν λίμνη, καὶ τὸ ἐλθὼν ἐκ τῆς λίμνης διαχωροῦμενα. ἐστὶ ἡ λίμνη ἴσον, ἢ ἕξ ηὖτις ὄρητιν τῶν Τιβέριος, ναυμαχῶν

50 περὶ οὐδέλικας ἡμῆρσιον ἢ ὅπῃ τῆς λίμνης περὶ τὸν ὄδον Τιβέριος, εἶδε τὰς Ἰσπερηνίης. id est: Prope eam regionem ortus est Istri, & item Rhæni, ac lacus inter horum fonteis situs, paludesque à Rheno effusa. Est autem insula in lacu: quâ pro receptaculo usus est Tiberius, navali pugná cum Vindelicis certans. Vnius diei iter a lacu progressus, fontis Istri vidit. Hic igitur est ille Albinovani *Rhenus*, per Rhætos, ut suprâ cap. III ostensum, lacum intrumpens; hæ *Alpina valles*, ab iisdem Rhætis ac Vindelicis habitatæ: hic ille

— sanguine nigro

Decolor infectâ testis Ilargus aquâ.

Quod spes implerant maternaque vota Nerones:

Quod pulsus toties hostis utroque duce.

Sequitur

Sequitur hinc GUNTIA; vulgò nunc *Gunnz*: à quo opidum seu castellum juxtà situm eodem nomine, ut suprà cap. IV ostensum, Antonino & Notitiæ imperii memoratur; & *Gontiensis Danubii transitus* Eumenio, in panegyrico, Constantio Cæsari dicto.

Proximus hinc, famæ jam multo celebrioris, LICUS, sive LICHUS; vulgò nunc *Lech*. Ovidius, de Ponto, lib. I, eleg. VI:

*Torquet enim fortuna parum, nisi Lichus in Hebrum
Confluat? & frondes Alpibus addat Athos?*

De rebus difficillimis loquens, similitudinem captat ex Licho Alpino amne in Thraciæ flumen Hebrum deducendo, & Atho, ejusdem Thraciæ monte, in Alpeis transponendo. In vulgatis exemplaribus id amnis nomen scribitur per *y* literam *Lychus*. at haud ignarus ego sum, quàm curiosè Romani Græcam istam literam extra Græcas dictiones vitaverint. nihilque certius, quàm posterioris sæculi grammaticos, ut in innumeris aliis dictionibus, maxime verò propriis nominibus, in hoc quoque amnis vocabulo eam literam supposuisse: idque haud dubiè ex Ptolemæo; cui is amnis in descriptione Rhætiæ ac Vindeliciæ bis dicitur *Λυκίας ποταμός*, id est, *Lycias fluvius*. quod & ipsum vocabulum ille formavit ad similitudinem nominis, quo complures Asiæ amnes adpellantur, singuli *Λύκος*, *Lycus*. Sed Romanos Vindeliciæ *Licum* scripsisse per *i*, vel ex ipso facilè probaverim Ptolemæo; cujus verba in Vindeliciæ descriptione hæc sunt: *καὶ ὄρη τὴν Λυκίας ποταμὸν Λικάποι*. id est; *Et apud Lyciam amnem Licatii*. Ab amne, quem accolebant, dictos fuisse *Licatiis*, quis dubitet? Cur igitur non *Λυκάποι*, *Lycatii*, scripsit? Rationem nullam aliam video, nisi quòd Romani, à quibus id vocabuli ad Græcos pervenit, scribebant *Licatii*. Et ne suspiceris, fuisse apud Ptolemæum eo in vocabulo scriptum *υ*, en Straboni quoque sunt *Λικάποι*, bis eodem nomine perscripti, lib. IV, & Plinio etiam *Licates*. Certum igitur est, optimè amnis nomen scribi LICUS & LICHUS: quod hodièque dicitur *Lech*.

Infra Licum est ISARUS, sive ISARGUS, vulgò *Isar* dictus. Ab hoc Plinio dicuntur incolæ *Isarci*; ut suprà cap. III docui. & Antonino tabulæque opidum *Isarica*; ut cap. IV ostensum. Dictus igitur fuit *Isargus*, quemadmodùm *Ilargus*. Apud Strabonem, lib. IV, in descriptione Alpium, idem amnis adpellatur *Ἰσαρὸς*, ISARUS; quamquam loco corruptissimo; ut alibi docebo. 30

In *Isarum* confluit AMBRA, vulgò nunc *Amber*, Antonino sæpius memoratus.

Sequitur hinc nobilissimus AENUS, vulgò hodiè *In*; præter Strabonem, Tacito quoque, histor. III, Arriano in rebus Alexandri Magni, Ptolemæo in Rhætiæ ac Norici descriptione, Antonino, Tabulæ, & Notitiæ imperii celebratus. Non placet eorum iudicium, qui ex unâ Notitiâ id amnis vocabulum malunt scribere per *æ* diphthongum, *Oenus*, quàm cum Tacito, Ptolemæo, & Antonino, *Aenus*. In tabulâ quidem est *Enus*; ut & apud Arrianum *Εἰς*.

In *Aenum* à dextrâ ripâ confluit JOVAVUS, sive JUVAVUS, vulgò nunc *Salza* dictus; illo nomine tabulæ itinerariæ memoratus.

Sequitur inde amniculus ISIS, vulgò *Ips*: ad cujus confluentem in Danubium locus tabulæ vocatur *Ad pontem Isis*.

Haud procul hoc est ARELAPES, sive ARLAPES, vulgò nunc *Erlaph*. ad cujus confluentem opidum Ptolemæo ac tabulæ est *Arelape*, Antonino ac Notitiæ *Arlape*.

Hi igitur sunt amnes, qui in Vindeliciâ ac Norico Danubio miscentur. In eodem Norico, seu Alpibus Noricis oriuntur celebratissima flumina DRAVUS, & SAVUS, vulgò *Draw* & *Saw*, longè extra Noricum in eundem Danubium sese evolventes.

Medium Noricum secatur MURUS, sive MURΛ, vulgò *Mure*, unde Ptolemæo superioris Pannoniæ opidum *Μυροῦλα*, *Muroëla*: quod ex nomine ac situ interpretor celeberrimum nunc Stiriac opidum *Grätz*.

Atque hæc sunt, quæ de Vindeliciâ ac Norico, veteris Illyrici partibus, in præfens dicere habui. Plura de iis dici posse, haud nefcius sum. verùm ego, quod promiseram, *πᾶρεργον* satis abundèque perfeci.

F I N I S.

INDEX